

qua tamen initia quadam, & prima quasi Medicina elementa
 continet, ignarū fuisse, meridiana luce clarius ostendunt. Theo-
 logi certē impietatis illum quasi scholam quādam aperuisse, ac
 propterea in vera philosophia, ne audiendum quidem esse iudi-
 cant. Quid enim? virtutes omnes ex hominis natura & indu-
 stria comparari scribit. Dei opem neq; ad has, neq; ad alias prae-
 claras, atq; admirandas actiones usquam adhibet. Deū in sem-
 piterna quadam, ludicraq; cæli conuersione occupatum, & tan-
 quam miserum aliquem figulum, rotæ volutationi perpetuò
 affixum esse memorat. Diuinam prouidentiam tollit, cum iusti-
 tia, &, quæ illinc proficiscuntur, pœnis omnibus. Mundum
 æternum, animos mortales facit: non aliam, quàm quæ in hac
 uita sit, beatitatem constituit: eamq; totam ex ipso homine deri-
 uari, inq; eodem terminari docet. Nolo omnia persequi, ne Ari-
 stotelis, quo in philosophia iam inde ab adolescentia, magistro
 libenter usus sum, accusationem instituisse uidear. Id longè se-
 cus est: non huc mea oratio spectat: illud ago, ut ostendam nemi-
 nem ita præclare ab ingenio, ac magnarum rerum usu, et ma-
 ximarum artium cognitione instructum fuisse, ut nunquam o-
 pinionis errore deceptus fuerit. Deinde, id operam do, ut excus-
 so seruitutis iugo, liberalia ingenia in libertatē uindicem: ne sa-
 pientie studiosi homines, unius alicuius philosophi placitis
 addicti, quicquid ab illo pronunciatum audiunt, id, etiamsi
 nullis, aut ceriè non satis firmis rationibus stabilitum sit, sta-
 tim tamen pro oraculo recipiāt. In medio positum est magnum
 hoc Dei, & naturæ theatrum: oculi, atque alij sensus philoso-
 phia ministri Dei munere tibi quoq; concessi sunt: animum des-
 nig; ac mentem ex ipsius quasi Dei gremio, in te sicut in alios,
 delapsam obtines, nihil abest quod ad contemplationē desidera-
 re plus alijs possis. Age igitur, descende tu quoq; in admiran-
 dum hoc est pulcherrimū quod dixi orbis theatrum: tuis oculis.
 non alienis naturam intucere: tuos sensus adhibe, quid alijs affir-
 ment: audi quidem, ita tamen verbis fidem adiunge, si ratio-
 ni, si naturæ consentanea loquantur. Sin autem aliena adfes-
 rant, eadem libertate ac facilitate, qua ab illis dantur, tu reij-
 ce: si quæ nō satis euoluūt, tu summa cōtentione ac studio eruere